



333

Illud vero ex pluribus petris est compositum, caemento
conglutinatis, non multum artificialiter, nec est ibi aliquid de
vero sepulchro, nisi in parte sinistra eminent de muro domun-
culi unus lapis grossus, ut caput hominis, et albus, septem
palmis a terra elevatus, et hunc peregrini deosculantur pro
reliquiis veri sepulchri Christi. Haec ille.

(B) Novissime peregrini ingressi contraria in suis libel-
lulis referunt, et quilibet hoc, quod sibi videtur, conatus est
ita tradere, quia non sit fas alicui contradicere. Quidam
dicunt, quod sub tabulaturis marmoreis sit adhuc integra
monumenti et sancti sepulchri petra, quamvis minime videatur.
Alii dicunt, quod nemo pro certo sciat vel possit asserere,
sub tabulaturis esse petram veram vel non. Alii manifeste asse-
runt, quod non manserit ibi de petra vera in quantitate grani milii.
Et ad hoc allegant plures rationes. 1) Malitiam paganorum,
qui tanto odio in Christianos inardescunt, quod nihil eorum,
quae Christiani diligunt aut venerantur, incorruptum derelin-
quunt. Sciebant autem sepulchrum Christi nobis esse vene-
rabilissimum, ideo majori furore in eum exarserunt, et dis-
cerpserunt. Sciebant insuper, quod stante sepulchro illo
Christiani semper anhelarent ad rehabendam civitatem Jeru-
salem, sed eo deposito minus curarent de ea, ideo nihil ex
eo ibi reliquerunt. Saepe etiam multo tempore fuerunt a
Christianis vexati et impugnati et fugati ipsi Sarraceni, qui
dum etiam victoria potirentur, et Christianos expugnarent,
injurias et vexationes perpessus prius a Christianis vindica-
verunt in sancto sepulchro, ipsum destruentes, et ecclesiam
sancti sepulchri devastantes in Christianorum despectum. 2)
Alia ratio assignatur, quare nihil de sancto sepulchro in loco
remanserit. Cum enim Christiani ultima vice victi a Sarracenis
cogerentur Jerosolymam tradere eis et emigrare, hanc tradi-
tionem tali conditione et pacto fecerunt, ut exire dimitterentur
salva vita et omnibus rebus, quae asportari possent. Et ita
Sarraceni consenserunt, ut emigrarent a Jerusalem, et omnia,
quae vellent, secum asportarent. Tunc patriarcha hierosoly-
mitanus cum omni clero suo, et rex Jerusalem cum omni
militia civitate sancta emigraverunt, in qua transmigratione
creditur omnia tulisse usque ad fundamenta, quae sancta

348

346

352

342

357

337

397

297

447

247

Ende

Anfang